

The *Chrysostomus Latinus in Mattheum* Online (CLIMO) Project
(<https://climo-project.wlu.ca>)

Omelia XXXIII. in Mattheum Iohannis Chrysostomi interprete Burgundio
(BAV MS Vat. lat. 383, ff.118va-122vb)

Ecce ego mitto uos, sicut oues in medio luporum. Efficiamini igitur prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae.

Commented [ND1]: [fol.118va]

Quia de necessario cibo fecit eos confidere, et omnium eis aperuit domos, et honestum ingressui eorum scema circumposuit, non ut errantes et mendicantes introire iubens, sed sicut suscipientibus multo honestiores, hoc enim ostendit per ea quae dixit, dignus est operarius mercede sua, et per quae iussit interrogare quis dignus et illic manere, et salutare eos qui recipiunt iniunxit, et per quae his qui non suscipiunt intolerabilia minatus est mala, quia igitur ita proiecit eorum sollicitudinem, et signorum armavit ostensione, et ferreos quosdam, et adamantinos operatus est, eos ab omnibus uitae huius negotiis eruens, et ab omni temporanea sollicitudine liberans eos, dicit iam et mala quae debebant contingere eis, non quae postmodum uentura erant solum, sed et quae post paruuum futura erant tempus, desuper et ante multum tempus, prelio quod est ad diabolum preparans eos. Etenim multa hinc emendabantur, et primum hoc id est discere prescientiae eius uirtutem. Secundum autem hoc id est nullum suspicari, quoniam propter imbecillitatem magistri haec superuenerunt mala. Tercium hoc id est eos qui sustinent haec, non stupescere, in inopinabiliter et preter spem eueniendo. Quartum hoc id est non tumultuari, in ipso tempore crucis, haec audientes. Etenim passi sunt hoc tunc, quando et exprobrans eos dixit, quoniam haec locutus sum uobis, tristitia impleuit cor uestrum, et nullus ex uobis interrogat me quo uadis. Et nichil nondum de seipso dixit, puta quoniam ligabitur, et flagellabitur, et interficietur. Vt non et ita conturbet eorum mentem, sed interim ea quae eis uentura erant predicit. Deinde ut discant quoniam noua haec prelii est lex, et inopinabilis expeditionis est modus, nudos mittens, et cum una tunica, et discalciati, et sine uirga, et sine cingulo, et pera, et a suscipientibus, iubens cibari, neque hic sermonem sistit, sed ostendens suam ineffabilem uirtutem ait, et ita abeuntes, ouium mansuetudinem ostendite. Et hoc ad lupos ituri, et non simpliciter ad lupos, sed et in medio luporum, et non ouium mansuetudinem solum habere iubet, sed et columbae simplicitatem. Ita enim maxime meam demonstrabo uirtutem, cum oues lupos superauerint. Et in medio luporum existentes, et decem mille accipientes morsus, non solum non consumantur, sed et illos transmutent, quod multo mirabilius est et maius id est transponere consilium, et transmutare mentem eorum quam interficere eos. Et hoc duodecim existentes soli, orbe terrarum impleto lupis. Verecundemur igitur qui contraria facimus. Qui sicut lupi inimicis superapponimur. Donec fuerimus oues uincimus. Etsi decem mille circumdauerint lupi, superamus et uincimus. **S**i autem efficiemur lupi, uincimur. Desistit enim a nobis pastoris auxilium. Non enim lupos, sed oues pascit, et derelinquit te, et recedit. Neque enim concedis eius ostendi uirtutem. Si enim patiens mala mansuetudinem ostenderis, eius putatur uniuersum tropheum. Si autem exieris, et pugnaueris umbras uictoriam. Tu autem michi intende qui sunt, qui precepta haec dura et laboriosa audiunt, qui formidolosi et idiotae, qui illiterati et indocti, qui undique obscuro, qui numquam in philosophorum nutriti sunt legibus, qui non uelociter in plateis immittebant seipsos, qui piscatores, qui publicani, qui decem milibus pleni erant minorationibus. Si autem et excelsos et magnos sufficientia haec erant in tumultum immittere, eos qui undique erant in experti, et nichil unquam magnati erant nobile, qualiter non erant sufficientia contere

Commented [ND2]: [fol.118vb]

Commented [ND3]: [fol.119ra]

et stultos facere? Sed non contriuerunt, et ualde decenter fortassis dicet aliquis. Dedit enim eis potestatem leprosos mundandi, demones abigendi. Ego autem illud utique dicerem quoniam hoc ipsum quidem, maxime eos sufficiens erat in tumultum immittere, cum et mortuos erigentes, haec intollerabilia erant passuri et iudicia, et abductiones, et prelia quae sunt ab omnibus et commune prelium orbis terrarum, et eos miracula facientes, talia sustinere mala. Quae igitur horum omnium erat consolatio? mittentis uirtus. Ideoque hoc ante omnia posuit, dicens, ecce ego mitto uos, sufficit hoc in mitigatione uobis, sufficit hoc ad confitendum, et nullum formidandum superuenientium. Vides auctoritatem, uides potestatem, uides uirtutem in expugnabilem? quod autem dicit hoc est. Ne tumultuemini ait, quoniam in medio luporum mittens, sicut oues et columbas esse iubeo. Possem enim facere contrarium, et nichil uos permittere malum sustinere. Neque ut oues supponere lupis, sed leonibus, operari terribiliores, sed ita confert fieri. Hoc et uos clariores facit, hoc et meam diuulgat uirtutem, hoc et ad paulum dixit, sufficit tibi gratia mea. Virtus enim mea in infirmitate perficitur. Ego ita uos feci esse. Cum enim dicat, ego mitto uos ut oues, hoc enigmatice insinuat. Ne igitur excidatis. Noui enim manifeste, quoniam ita maxime ab omnibus eritis inuincibiles. Deinde ut aliquid et a seipsis inferant, et non omnia gratie esse uideantur, neque uane et inaniter coronari estimentur, ait, efficiamini igitur prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae. Et quid poterit utique nostra prudentia ait, in tantis periculis? qualiter autem uniuersaliter poterimus prudentiam habere a tantis circumdati fluctibus? Quantumcumque enim efficietur prudens ouis in medio luporum existens, et luporum tantorum, quid poterit amplius perficere? quantumcumque efficiatur simplex sicut columba, quid proficiet tantis imminentibus accipitribus? Inrationabilibus quidem nichil in uobis autem maxima. Sed uideamus quam prudentiam hic expetit. Eam quae serpentis est ait. Quemadmodum enim ille omnia tribuit, etsi ipsum oporteat corpus incidi, non ualde defendit id, ut caput conseruet, ita et tu ait, preter fidem omnia prebe, etsi pecunias, etsi corpus, etsi animam ipsam prebere oporteat. Illa enim caput est et radix, et illa conseruata, etsi omnia perdidideris, omnia recuperabis rursus, cum ampliori munificentia. Propter hoc utique neque simplicem quendam esse, et rusticum precepit, neque prudentem solum, sed commiscuit haec utraque, ut efficiantur ipsa uirtus. Prudentiam quidem serpentis, ad hoc ut non percutiaris in principalibus assumens. Simpliciter autem columbae in non iudicando cum iniusta pateris, neque puniendo insidiantes. Quia rursus nulla utilitas prudentiae, nisi hoc aderit. Quid igitur durius his fiet iussionibus? Non enim sufficit pati mala. Nequaquam ait, sed neque angustiari te ob hoc concedo. Hoc enim est columbae, sicut si aliquis calamum in ignem immittens, iubeat non comburi ab igne, sed extingui ignem? Sed non tumultuemur. Etenim euenerunt haec, et finem acceperunt, et in ipsis monstratum est operibus, et prudentes effecti sunt sicut serpentes, et simplices sicut columbae. Non alterius existentes naturae, sed eiusdem nobiscum. Ne igitur impossibilia estimet aliquis esse haec precepta. Ante alios enim uniuersos, ipse nouit rerum naturam. Nouit quoniam audacia, non audacia, sed mansuetudine extinguitur. Si autem et in rebus hoc effectum uidere uolueris, lege actuum apostolorum librum, et uidebis quotiens plebe iudeorum in surgente, et dentes exacuente, columbam hii imitantes, et cum decenti mansuetudine respondentes, dissoluerunt furorem illorum, extinxerunt insaniam, dissoluerunt impetum. Quia enim dixerunt, nonne annuntiatione annuntiauius uobis, non loqui in nomine hoc? quamuis decem milia potentes miracula operari, asperum quidem nichil neque dixerunt, neque fecerunt, cum humilitate autem omni respondebant dicentes. Si iustum est nos audire magis quam deum, iudicate. Vidisti simplicitatem columbae, uide prudentiam serpentis. Nos enim non possumus quae uidimus, et audiuius non accipere. Vides qualiter undique diligentes esse oportet, ut non a periculis humiliemur, neque a furore acuamur? Propter hoc et dixit, attendite ab hominibus. Tradent enim uos ad contiones, et in

Commented [ND4]: [fol.119rb]

Commented [ND5]: desides sitis add. super lin.

Commented [ND6]: [fol.119va]

Commented [ND7]: uel fortius add. super lin.

Commented [ND8]: [fol.119vb]

sinagogis suis flagellabunt uos, et adduces, et reges ducemini gratia mei, in testimonium eis et gentibus. Rursus enim uigilare eos preparat. Vbique pati quidem mala, eis tribuens, facere autem aliis dimittens, ut discas quoniam in patiendo mala, est uictoria, et preclara hinc statuit trophea. Neque enim dixit, luctamini et uos, et obuiate uexare uolentibus uos. Sed quoniam **ultima** patiemini solum, pape quanta dicentis est uirtus, quanta audientium est philosophia. Etenim ualde est dignum mirari, qualiter non confestim abscesserunt haec audientes homines, a sono formidolosi, et qui stagnum illud numquam superegressi sunt, circa quod piscabantur. Qualiter autem non excogitauerunt, et ad seipsos dixerunt, et quo fugiemus iam? iudicia aduersum nos sunt, reges aduersum nos, duces sinagogae iudeorum, plebes grecorum principantes, et hii quorum principantur. Hinc enim non solum palestinam eis, et quae in ipsa sunt mala predixit, sed et orbis terrarum ad aperuit prelia dicens, ad reges ducemini, et duces. Ostendens quoniam et gentibus postea precones eos erat missurus, orbem terrarum in nos preliari fecisti, uniuersos habitantes terram, aduersum nos armasti, plebes, tyrannos, reges? sed et quod deinceps est, multum est terribilius, cum et fratrum occisores, et parricidae, et filiorum occisores, propter nos efficiuntur homines. Tradet enim ait frater fratrem in mortem, et pater filium, et exurgent filii in genitores, et mortificabunt eos. Qualiter igitur reliqui ait credent, cum uiderint propter nos pueros a patribus interfectos, et fratres a fratribus et iniquationibus omnia repleta. Nonne enim sicut demones seductores, nonne ut abhominabiles **et orbis terrarum inquinamenta**, abigent nos undique sanguinibus cognatorum, terram impletam uidentes, et occisionibus talibus? Non enim pacem ad domos inducentes dabimus, tantis eas implentes occisionibus. Si enim multi essemus, et non duodecim, si enim non idiotae, neque illiterati, sed sapientes, et rethores, et apti sermocinari, magis autem si reges ipsi, et exercitum habentes, et pecuniarum superhabundantiam, qualiter utique possemus suadere quibusdam, ciuilia prelia accendentes, sed et ciuilibus multo difficiliora? Etsi enim nostram salutem contempserimus, quis aliorum nobis attendet? Sed nichil horum neque excogitauerunt, neque dixerunt. Neque noxias **expetebant** preceptorum, sed cedebant et persuadebantur solum. Hoc autem non eorum uirtutis erat solum, sed doctoris sapientiae. Vide enim qualiter unicuique malorum mitigationem adiugauit, et in non suscipientibus eos, dixit. Tolerabilius erit terrae sodomorum et gomorrae in die iudicii, quam ciuitati illi. Et hic rursus dicens, adduces, et reges ducemini, induxit gratia mei, in testimonium ipsis et gentibus. Non parua uero haec consolatio est, et propter christum haec pati, et in redargutionem illorum. Deus enim etsi nullus attendat, quae eius sunt, ubique uidetur faciens. Haec autem eos consolabantur, non quia aliorum cupiebant poenam, sed ut confidentiam habeant, quoniam ubique eum habebunt, secum presentem, et prescientem haec, et quoniam non ut perniciosi et nocui haec patientur. Cum his autem non paruam et aliam apponit consolationem eis dicens. Cum autem tradiderint uos, ne solliciti sitis, qualiter uel quid loquemini. Dabitur enim uobis in illa hora quid loquemini. Non enim uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. **Vt enim ne dicant qualiter suadere poterimus talibus effectis rebus? et de excusatione iubet confidere.** Et alio quidem ait. Ego dabo uobis os et sapientiam. Hic autem spiritus patris uestri est, qui loquitur in uobis, ad prophetarum eos reducens dignitatem, propter hoc quando dixit uirtutem datam, tunc et mala induxit, interfectiones et occisiones. Tradet enim frater fratrem ait in mortem, et pater filium, et insurgent filii ingenitores, et mortificabunt eos, et neque hic stetit, sed et quod multum horribilius est apposuit, et petram, sufficiens concutere, quoniam et eritis odio habiti ab omnibus. Et hic rursus in hostiis est consolatio. Propter nomen enim meum ait, haec patiemini, et cum hoc rursus aliud. Qui autem perseuerauerit usque in finem, hic saluabitur. Haec autem et aliter sufficientia erant, corrigere eorum prudentiam, si tanta predicationis, debebat accendi uirtus, ut naturam exprobraret, et cognitionem proiceret, et

Commented [ND9]: mala add. super lin.

Commented [ND10]: [fol.120ra]

Commented [ND11]: interrogabant add. super lin.

Commented [ND12]: uel responsione add. super lin.

Commented [ND13]: [fol.120rb]

prehonoraret omnibus sermonem, omnino omnia abigentem. Si enim naturae tyrannis non potest ad ea, quae dicuntur resistere, sed dissoluitur, et conculcatur, quid aliud uos superare poterit? non tamen quia haec erunt, in otio uestra erit uita, sed et communia habebitis prelia, et inimicos eos qui orbem terrarum habitant. Vbi nunc plato, ubi stoicorum multitudo? Etenim multo potitus ille honore, et ita arguebatur, ut et uenditus fuerit, et nichil eorum quae uolebat corrigeret. Neque ab uno tyranno, sed discipulos tradens, miserabiliter uitam dissoluit, et caninae illae abhominaciones, uelut somnium, et umbra omnes abierunt, quamuis nichil tale umquam eis contigerit, sed et predicari propter philosophiam exteriorem esse uidebantur, et epistolas platonis a dione missas, athenienses publice proposuerunt, et quietam omnem duxerunt uitam, et pecuniis ditati sunt non paucis. Ita denique aristippus meretrices emebat pretiosas. Hic autem testamenta scripsit, non quamlibet hereditatem derelinquens, hic autem discipulis seipsos in modum pontis statuentibus desuper ambulauit. Sinopeum autem philosophum aiunt, et publice seipsum deturpasse in foro. Haec enim eorum est honestas, sed nichil talem est hic, sed intensa sobrietas et decoratio diligentissima, et prelium ad orbem terrarum uniuersum, pro ueritate, et pietate, et secundum unamquamque diem occidi, et postea preclara trophea, sed sunt quidam ait, et exercitus duces apud eos, puta themistocleus pericleus, sed et hec, puerorum sunt ludi, ad ea quae sunt piscatorum comparata. Quid enim utique habebit dicere, quoniam atheniensibus suasit ascendere naues, xerxo aduersus elladam, militante? Hic autem non xerxo oppugnante, sed diabolo cum orbe terrarum uniuerso, et cum infinitis demonibus aduersus hos duodecim superueniente, non in uno tempore, sed per totam uitam superauerunt et uicerunt, et quod utique est mirabile, non interficientes eos qui erant contrarii, sed transmutantes, et reformidantes. Hoc enim maxime oportet ubique obseruare, quoniam non interfecerunt, neque destruxerunt eos, qui insidiabantur eis, sed demonibus accipientes aequales, angelorum fecerunt similes. Humanam quidem naturam a pernitiōsa hac liberantes tyrannide. Seductores autem illos et omnia cooperantes demones, ex mediis plateis et domibus, magis autem et ab ipso abigentes heremo, et testantur monachorum chori, quos plantauerunt ubique. Non habitabilem terram solum, sed et inhabitabilem expungentes, et quod utique est a mirabilius, quoniam non cum exercitu equali haec faciebant, sed in patiendo mala explebant omnia. Etenim habebant eos in medio duodecim uiros, idiotas ligantes, flagellantes, circumducentes, et non poterant eos obstruere, sicut radium ligare est impossibile, ita et linguam illorum. Causa autem erat, quod non ipsi erant qui loquebantur, sed spiritus uirtus. Ita denique et paulus uicit eos, qui erant circa agrippam et neronem, malitia uincens omnes homines. Dominus enim michi astitit ait, et fortificauit me, et eruit ex ore leonis. Tu autem et ipse ammirare qualiter audientes ne solliciti sitis, et crediderunt, et uerbum susceperunt, et nichil eos terribilium stupefecit. Si autem dixeris, quoniam sufficientem eis dedit consolationem, indicendo quoniam spiritus patris uestri erit qui loquitur, et propter hoc, maxime stupeo de eis, quoniam non dubitauerunt, neque quesierunt, ereptionem a malis, et hoc non per duos uel tres annos erant passuri, sed per omnem uitam. Dicere enim qui perseuerauerit in finem hic saluus erit, enigmatice hoc insinuat est. Vult enim non quae ab ipso sunt solum inferri, sed et ab ipsis fieri directiones. Intende denique desuper qualiter haec quidem eius, haec autem discipulorum fiunt. Signa enim facere eius. Non possidere autem aliquid est illorum. Rursus domos aperire omnes, superioris est gratiae. Nichil autem amplius necessitate expetere eorum est philosophiae. Dignus enim operarius est mercede sua. Pacem largiri dei est donationis, dignos inquirere, et non ad omnes simpliciter intrare, eorum erat continentiae. Rursus punire eos qui non susceperunt ipsos, eius est. Cum mansuetudine autem recedere ab his non conuitiantes, neque iniuriantes, apostolorum est humilitatis dare spiritum, et non facere sollicitos esse, mittentis erat. Sicut oues et columbas effici, et ferre omnia uiriliter, horum roboris et

Commented [ND14]: sed tamen add. super lin.

Commented [ND15]: ut apostolis add. super lin.

Commented [ND16]: [fol.120va]

Commented [ND17]: alius add. super lin.

Commented [ND18]: alius add. super lin.

Commented [ND19]: rege persarum add. super lin.

Commented [ND20]: [fol.120vb]

Commented [ND21]: uel insinuantis add. super lin.

Commented [ND22]: christo add. super lin.

Commented [ND23]: illa add. super lin.

Commented [CN24]: est add. super lin.

prudenciae. **O**dio haberi, et non conteri et perseuerare, eorum erat, perseuerantes saluare mittentis. Ideoque dixit. Qui autem perseuerauerit usque in finem, hic saluabitur. Quoniam enim assueuerant multi in **proemiis** quidem esse uehementes, postea autem dissolui, propter hoc ait, quoniam finem inquiri. Quae enim utilitas est seminum, in principio quidem florescentium, postmodum autem tabescentium? Propter hoc sufficientem perseuerantiam ab ipsis expetit. Vt enim ne aliquis dicat, quoniam omnia ipse fecit, et mirabile nichil est tales illos effectos esse, nichil patientes honerosum, propter hoc ait eis, quoniam et perseuerantia uestra est opus. Etsi enim ex primis **ereperso** periculis aliis difficilioribus conseruo. Et post illa rursus alia succedent, et non stabitis qui insidias patiamini, donec spiraueritis. Hoc enim enigmatice insinuauit, dicens. Qui autem perseuerauerit usque in finem, hic saluabitur. Propter hoc utique et dicens, ne solliciti sitis quid loquimini, alio ait. Parati efficiamini, ad apologiam id est responsionem, omni petenti uos rationem de spe quae est in uobis. Cum enim in medio amicorum agon erit, iubet et nos sollicitos esse. Cum autem iudicium terribile et plebes insanientes, et timor undique auxilium quod est ab ipso prebet, ut confidant et loquantur, et non obstupescant, neque tradant iusticiam. Etenim multum magnum erat, hominem circa stagna, et coria, et teloneam, uacantem, tyrannis sedentibus, et satrapis assistentibus, et uexilliferis, et gladiis denudatis, et omnibus cum illis stantibus introeuntem solum, ligatum, inferius flexum, posse extollere os. Etenim neque sermone neque excusatione **cum eis participabant dogmatum gratia**, sed ut communes orbis terrarum ita **expellere temptabant**. Qui enim orbem terrarum commouent, hii sunt, et hic assistunt. Et rursus contraria dogmatibus cesaris uenerantur, dicentes esse regem ihesum christum, et ubique iudicia preassumebantur in talibus suspitionibus, et multo erat opus superiori auxilio ad ostendendum, et dogma uerum existens, quod uenerabatur, et quoniam non nocent communibus legibus, et non studentes dicere de dogmate, incidendum in suspitionem legum euersionis, neque rursus studentes ostendere, quod non euertunt communem urbanitatem, corrupendum dogmatum **diligentiam**, quae uniuersa uidebis, et a petro et a paulo, et a reliquis uniuersis, cum decenti prudentia directa. Etenim ut seductores, et litigatores, et nouae sectae introductores, ubique orbis terrarum incusabantur, sed tamen et hanc remouerunt suspitionem, et contrariam ei circumposuerunt, ut saluatores et procuratores, et benefactores, apud omnes diuulgati. Haec autem omnia per multam dirigebant perseuerantiam. Ideoque paulus dicebat, assidue morior. Et usque in finem periclitans permansit.

Duo igitur utique erimus digni, tanta habentes exempla, et in pace molliti, et pigritantes? nullo denique bellante occidimur, nullo persequente dissoluimur, in pace saluari iussi, et neque hoc possumus. Et illi quidem orbe terrarum ardente, et per uniuersam terram pyra accensa, intrantes intus, ex media rapiebant flamma eos qui comburebantur. Tu autem neque teipsum conseruare potes. Quae igitur nobis erit libera pro palatio, qualis uenia? non flagella, non carceres, non principes, non sinagogae, non aliud aliquid talium imminet, sed et contrarium uniuersum, nos rogamus. Etenim reges pii sunt, et honores multi sunt christianis, et primatus, et gloria, et remissiones, et neque ita superamus. Sed illi quidem abducti cotidie, et doctores et **discipuli**, et decem mille cicatrices habentes, et continua uerbera, his qui in paradiso conuersabantur, magis delectabantur. Nos autem neque somno aliquid tale sustinentes, omni cera sumus molliores. Sed illi quidem ait, miracula operabantur. Propter hoc igitur non flagellabantur, propter hoc non abigebantur. Etenim hoc est extraneum, quoniam et ab his quibus beneficia impertiebant, multotiens talia patiebantur, et neque ita tumultuabantur, mala pro bonis assumentes. Tu autem si cui benefeceris, paruo quodam beneficio, deinde tristi aliquo potieris, tumultuaris, turbaris, et de eo quod factum est te penitet. Si igitur fieret quod absit, neque contingat umquam fieri, prelium

Commented [ND25]: [fol.121ra]

Commented [ND26]: principiis add. super lin.

Commented [ND27]: uos add. super lin.

Commented [ND28]: uel responsione add. super lin.

Commented [ND29]: apostolis add. super lin.

Commented [ND30]: reges add. super lin.

Commented [ND31]: suorum add. super lin.

Commented [ND32]: [fol.121rb]

Commented [ND33]: perturbant add. super lin.

Commented [ND34]: uel certitudinem add. super lin.

Commented [ND35]: Morale xxxiii. de eo quod oportet nos sustinere omnem temptationem intendentes ad perseuerantiam beati iob. *notum in marg.*

Commented [ND36]: [fol.121va]

ecclesiarum, et persecutionem, excogita, quanta esset derisio, quanta obprobria, et ualde decenter. Cum enim in palestra nullus excitatur, qualiter in agonibus erit clarus? Qualis enim athleta pueros excitare nesciens, poterit uocantibus olimpiacis agonibus, magnum quid et nobile ostendere ad reluctatorem? Non enim oporteret per unumquemque diem luctari nos et pugnare et currere? non uidetis athletas cum nullum habuerint reluctatorem, qualiter eorum arena multa implentes, et appendentes, illic uirtute uniuersa exercitantur? Iuniores autem his in aliorum corporibus meditantur pugnam quae est aduersus inimicos, hos et tu zelare, et meditare cum philosophia, collectationes. Etenim in iram multi exacuunt, et in concupiscentiam immittunt, et multam accendunt flammam. Sta igitur aduersus passiones, fer uiriliter dolores qui sunt secundum mentem, ut et eos qui sunt corporis, sustineas. Etenim beatus iob, nisi bene esset exercitatus ante agones, non utique ita clare in agonibus effulsisset, nisi meditatus fuisset, extra omnem tristitiam esse, dixisset utique aliquid pertinax pueris morientibus. Nunc autem ad omnia stetit certamina, ad pecuniarum perditionem, et superhabundantiae tantae destructionem, ad puerorum ablationem, ad mulieris compassionem, ad corporis flagella, ad obprobria amicorum, ad contumelias famulorum. Si autem uolueris et exercitationes eius uidere, audi eum dicentem, qualiter contempnebat pecunias. Si autem et laetatus sum ait multis diuitiis effectis michi. Si ordinaui, aurum in puluerem, si lapidem pretiosum concupiui. Propter hoc neque raptis illis tumultuabatur, quoniam et presentia ea non concupiscebat. Audi qualiter et ea quae secundum filios suos erant, persequebatur, non mollitus ultra quam oportet sicut nos, sed omnem diligentiam ab ipsis expetens. Qui enim et pro incertis sacrificium offerebat, excogita qualiter erat diligens apertorum iudex. Si autem et agones de sobrietate uis audire, audi eum dicentem. Testamentum disposui oculis meis, ut non intelligam in uirginem. Propter hoc eum non fregit uxor sua. Diligebat enim eam et ante hoc, sed non ultra modum, sed ut decens est uxorem. Vnde et multum ammiror, unde uenit diabolo scienti eius gymnasia mouere illos agones. Vnde igitur accidit? pernitiiosa est illa fera et numquam diffidit, quod maxima nobis condempnatio fit, quoniam ille quidem de nostra numquam desperat perditione. Nos autem diffidimus de nostra salute. Sed intende qualiter corporis corruptionem et destructionem meditabatur. Quia enim ipse numquam aliquid tale passus erat, sed in diuitiis, et lasciuia, et alia claritate erat uiuens, alienas assidue excogitabat calamitates. Timor enim quae timebam uenit michi, et quae formidabam, obuiauit michi, et rursus. Ego autem in omni inpotente ploraui, et ingemui uidens uirum in necessitatibus. Propter hoc utique nichil eum confundebat, eorum quae accidebant, etsi magna, etsi intolerabilia erant. Neque enim inspicias perditionem pecuniarum, neque filiorum ablationem, neque plagam illam insanabilem, neque uxoris insidias, sed quae multo his sunt difficiliora, et quid his difficiliora ait, passus est iob? Ab hystoria enim nichil his amplius discimus, quia dormimus, non discimus, quia qui sollicitus est, et margaritam bene perscrutatur, multo ampliora his nocet. Quae enim difficiliora sunt, et sufficientia maiora immittere tumultuationem alia erant. Et primum hoc erat id est nichil scire de regno caelorum et resurrectione manifestum. Quod nimirum et lugens dicebat. Non enim in aeternum uiuam, ut longanimis sim, secundum hoc id est multorum sibiipsi conscium esse bonorum. Tertium, hoc id est nullius conscium esse pernitosorum. Quartum, hoc id est a deo estimare haec sustinere. Si autem et a diabolo, et hoc sufficiens erat, eum scandalizare. Quintum hoc id est audire amicos in malitia detrahentes ei. Non digne enim ait, his quae peccasti, flagellatus es. Sextum hoc id est eos qui inpernitie uiuebant, bene patientes uidere, et annuntiantes ei. Septimum hoc id est non habere in alium inspicere talia umquam passum, etsi uis discere quam magna haec sunt, excogita ea quae sunt presentia. Si enim nunc regno expectato, et resurrectione sperata, et ineffabilibus bonis, et decemmilium conscii existentes, nobisipsis malorum, et tanta habentes exempla, et tanta

Commented [ND37]: [fol.121vb]

Commented [ND38]: uel recondidi *add. super lin.*

Commented [ND39]: iob *add. super lin.*

Commented [ND40]: sui *add. super lin.*

Commented [ND41]: [fol.122ra]

Commented [ND42]: uel promittentes *add. super lin.*

participantes philosophia, si parum aurum perdiderint quidam, et quod multotiens rapuerunt. In execrabilem uitam esse existimant, neque uxore iniacente, neque filiis ablati, non amicis exprobrantibus, non famulis superuenientibus, sed et multis existentibus qui consolantur, his quidem per uerba, his autem per res, quantis non dignus ille utique erit coronis, quae ex iustis laboribus congregauerat, uidens simpliciter, et ut contingebat rapta, et post omnia illa decem mille temptationum sustinens nebulas, et per omnia immobilis perseuerans, et decentem referens dominatori de his gratiarum actionem? Si enim nichil aliorum nullus dixerit, uxoris solum uerba, et petram erant sufficientia concutere. Vide nimirum eius malignitatem, non meminit pecuniarum, non meminit camelorum, et gregum ouium, et bouum. Conscia enim erat uiro philosophiae quae est in his, sed honorosioris omnibus his filiorum dico, et dilatat tragediam. Si autem in leticia existentibus, et nichil patientibus triste multa multotiens suaserunt uxores, excogita qualiter erat uirilil anima cum tantis armis eam superuenientem expellens, et duas maximam tyrannidem habentes passiones, conculcans concupiscentiam et misericordiam, quamuis multi uincunt concupiscentiam in misericordia flexi sunt. Nobilis denique ille ioseph uoluptatem quidem maximam habentem tyrannidem detinuit, et barbaram illam mulierem, decem mille inducentem machinationes expulit. Lacrimas autem non detinuit, sed uidens fratres, qui iniqua sibi fecerant, incensus est passione, et faciem non continens, fictionem reuelauit. Cum autem et uxor fuerit, et miserabilia dixerit, et tempus habuerit cooperans, et uulnera, et cicatrices, et decem mille fluctuationes calamitatum, qualiter non utique aliquis iuste adamante omni solidiorem, nichil a tanta hieme patientem, animam esse annuntiabit? Date michi cum libera propalatione dicere, quoniam et apostolorum si non maior, sed neque minor beatus hic erat. Illos enim mitigabat hoc id est propter christum pati, ita hoc sufficiens erat pharmacum, per unamquamque diem eos erigere, ut ubique id poneret dominator. Propter me et gratia mei dicens, etsi me domus dominatorem beelzebub uocauerunt. Ille autem hac desolatus erat consolatione, et ab ea quae a signis est, et ab ea quae a gratia. Neque enim habebat tantam spiritus uirtutem, et quod utique maius est, quoniam in multa lasciuia nutritus, non ex piscatoribus et publicanis, et uiliter uiuentibus, sed et tanto potitus honore, passus est uniuersa quae passus est, et quod difficillimum in apostolis esse uidebatur, hoc idem et ipse sustinuit ab amicis, a famulis, ab inimicis odio habitus, et ab his qui beneficia ab ipso acceperunt, et sacram illam ancoram, et tranquillum portum, hoc autem erat quod dictum est apostolis quod gratia mei, hoc uidere non habebat, ammiror tres pueros, quoniam ausi sunt aduersus caminum, quoniam insurrexerunt aduersus tyrannum, sed audi quid dicunt. Diis tuis culturam non exhibebimus, et imaginem quam statuisti non adorabimus, quod maxima mitigatio eis erat manifeste scire, quoniam propter deum omnia patiuntur, quaecumque utique patiuntur. Hic autem non nouerat quoniam agones erant et certamina haec. Si enim nouisset, non utique sensisset ea quae facta sunt. Quando denique audiuit, quoniam non aliter estima, tibi hoc fuisse, quam ut appareas iustus, excogita qualiter confestim a nudo uerbo respirauit, qualiter humiliauit seipsum, qualiter neque passum esse estimauit quae passus est ita dicens. Quid adhuc iudicor ammonitus, et correctus, a domino? audiens talia nichil existens ego, et rursus. Vsque quidem ad aurem, audiui te prius, nunc autem et oculus meus uidit te. Ideo adnichilauit meipsum, et liquatus sum, estimo autem meipsum terram et cinerem. Hanc igitur fortitudinem, hanc mansuetudinem, et nos zelemur, illius qui ante legem et gratiam fuit, nos qui post legem et gratiam sumus, ut et aeternis cum eo possimus communicari tabernaculis. Quibus fiat omnes nos potiri, gratia et filantropia id est amore hominum, domini nostri ihesu christi, cum quo patri simul cum sancto spiritu, gloria, imperium honor, nunc et semper, et in secula seculorum amen.

Commented [ND43]: [fol.122rb]

Commented [ND44]: [fol.122va]

Commented [ND45]: a deo add. super lin.

Commented [ND46]: grauitate add. super lin.

Commented [ND47]: [fol.122vb]